



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Malderi Episcopi Antverpiensis S.Th. quondam  
Louanij Professoris Tractatus De Restrictionvm Mentalivm  
Abvsv**

**Malderen, Jan van**

**Antverpiæ**


Capvt Primvm. Occasio & scopus scriptionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41105**

9  
IOANNIS MALDERI  
EPISCOPI ANTVERPIENSIS  
TRACTATUS  
DE  
RESTRICTIONVM  
MENTALIVM  
ABVS V.

CAPVT PRIMVM.

*Occasio & scopus scriptiois.*

RAVE, ingratum & durum  
est audire, quòd hæretici ca-  
lumniam, & Catholici Catho-  
licis litem moueant super re-  
strictionibus mentalibus, qui-  
bus hodie non pauci proximo in corde &  
corde, hoc est in dolo, loquuntur. Operæ  
pretium itaque fuit arripere calamum con-  
tra hoc malum, quo Euangelio infidiæ  
struuntur de Euangelio; & quantum Deus  
dederit, & calumniatoribus per rationum  
momenta occurrere, & dissidentium in-  
quietu-



10 10. MALDERI TRACTATVS  
quietudini, & offenforum scandalis reme-  
dium afferre. Peruadit enim istud contagij  
etiam bonas animas, quando diabolus, qui-  
bus mentiri non persuadet, iam restrictione  
mentali vel secreta reservatione, euasione,  
aut subintellectione quasi mendacij succe-  
danea abuti procurat, magna conscientia-  
rum iactura, præcipuè apud eos qui nimis  
facile arripiunt consilium dupliciter respon-  
dendi, vt simplicis silentij consequantur ef-  
fectum.

Si in multiloquio non desit peccatum,  
quomodo deerit in isto sermone fucato &  
bicordi? Si rectè dixerit S. Bernardus, Sermo-  
ne de Triplici custodia, grauem esse perni-  
ciem oris incircumspecti; longè grauiorem  
rectè dixeris humano generi perniciem à la-  
bijs dolosis, & à duplici corde ad omnem  
fallaciam circumspecto. Omnis controuer-  
sæ humanæ finis est iuramentum: at quo-  
modo erit, si etiam in iuramenta licentius  
irrepat hæc sinceri commercij sermonisque  
humani inimica duplicitas? Etiam à Iudice  
interrogatus, occultum apud se finget esse  
illud de quo quæritur. Iurabit hoc antidoto  
munitus falsum esse quod verum est, & ve-  
nenum periurij, theriaca huius restrictionis  
correctum, innoxium sibi esse putabit. Per  
huius secretioris doctrinæ nimium abusum  
publi-



publica & priuata omnia turbantur. Pacta enim omnia periclitantur, cum qui verbis concedit totum, mente iniurata seruet sibi totum: quasi sufficiat ea excusatio, *Iuravi lingua, at mentem iniurata teneo.* & illud Priscillianistarum:

*Iura, periura, secretum prodere noli.*

Nec filij parentibus, nec iam vxor viro, neque serui dominis fideles, semper de peculio arcanæ mentis solliciti per secretum huius fraudis. Quid? quòd etiam Confessio fidei hac ratione non satis fiet incorruptè ab ijs qui restrictionibus eiusmodi vti assueuerint? Atque ita fiet, hac arte, diuina & humana omnia misceri.

Scio quosdam nimiùm excedere in reprehensione eorum Catholicorum, qui aliquotusque, & in casu, vsum mentalium restrictionum admittunt. Verùm ij dupliciter peccant: vno modo, quòd propter vagum abusum rei, omnem etiam eius ritè correctum vsum sublatum velint; altero, quòd partes sibi sumant nullo modo sibi convenientes. Quis enim credat idoneos esse sinceritatis assertores ac vindices, in quibus parum sinceritatis aut veri candoris residuum est? Monuit Ecclesiasticus cap. 37. non esse consultandum de honestate cum inhonesto: ita sanè neque cum mendace de  
veri-



*Seſtarij  
quare mi-  
nus indi-  
geant reſtri-  
ctionibus  
mētaliſus.*

Cap. 9.

veritate. Forſan hoc magis quis ſuſpicabitur, ideò liberius ipſos omnes mentales reſtrictiones è medio tollere, quòd ijs non indigeant, vtpote quibus mentiri aperte ita familiare eſt, vt etiam vera dicentibus nemo tutò audeat credere. *Antiquus enim ſermo eſt* (inquit Hieronymus Epistoła 37. ad Iulianum) *Mendaces faciunt vt nec vera dicentibus credatur.* Efficiunt enim iſti mendacij concinnatores, vt etiam in populo Chriſtiano, qui omnem ſinceritatem alioqui profitetur, locum habeat quod Ieremias in Iudæis reprehendit: *Extenderunt linguam ſuam quaſi arcum mendacij, & non veritatis.* Et infra: *Vnuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam: quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet. Et vir fratrem ſuum deridebit, & veritatem non loquentur: docuerunt enim linguam ſuam loqui mendacium; vt iniquè agerent, laborauerunt. Habitatio tua in medio doli.* Meritò certè aliquis noſtri temporis Ieremias populi Chriſtiani qui hodie ſunt circa veritatis ſimplicitatem degeneres mores ad ſimilem modum deploraret.

CA